

L. De Una Religione *Lib. 2. Cap. 3.* Ibburanes colloquitur cum Archom-
broto, tangens Hyperephanios h. e. Hugonottas, quos ad se pertra-
xisset. Usinulca, seu resolutio Anagrammate Calvinus: non enim svadet
persecutionem apertam & violentam, quæ Cives opprimat & extirpet;
sed tacitam & placidam, quæ Cives ad unum Religionis corpus redu-
cat; Concedendam pacem, ut conjurationis causam adeo præsentem
non habeant, adeoq; à Concordia sensim remittant: interim caute ex-
cludendos publicis honoribus, ut qui nec sibi vel liberis vellent consu-
lere, tempestivo discessu factionem reddant debiliorem. Quæ fane ar-
tificia, quantum hæcenus valuerint apud Gallos, hodiernus rerum Sta-
tus loquitur.

L I. Tributorum materiam Poliarchus tractat *Lib. 4. Cap. 18.* apud Re-
ginam Mauritanæ, perstringens Regum in Anglia limitatam potestatem,
ut nisi convocato & conciliato Parlamento pecuniam colligere non pos-
sent, cum tamen in subitis Casibus tarda hæc impedimenta defensionem
reddant maxime difficilem, in Casibus cauto silentio premendis, suspi-
cio adversariis enata, totum Consilium evertat. Ac svadetur adeo ex-
pectandas turbas, quales Mauritanæ faciebat Radiobanes, quibus ve-
lut extrema necessitate Princeps adactus tributorum arbitria ad suam
voluntatem pertrahat.

L II. De Auctoritate Principum adversus primarios Ministros custo-
dienda profundissima monet Timonides Legati nomine in Africam mit-
tendus *Lib. 5. Cap. 3.* Rogat enim, nollet Rex adigere Legatos, ut ad
certum Ministrum destinent Epistolas suas, in cujus manu deinde esset
universum Legationis negotium, sed permetteret, ut subinde ad Regem
simul scribere liceret, si vel maxime pauca & vulgaria; Sic enim Mini-
strum fore suspicionis plenum forte in Literis ad Regem datis aliqua
memorari, quæ fraudem vel negligentiam Ministri turbare possent. Vi-
deatur omnino Locus allegatus, quem in universo Libro multis ex cau-
sis judico nobilissimum: quod præsertim vetat nimium credere etiam
Cleobulo in negotiis publicis probatissimo, non quasi tam odiosa su-
spicione ipse esset dignus, sed ne suspicionem mereri posset deterior ali-
quis successor.

L III. Tandem circumspiciens Barclajus quantis Principiis instruxisset
hominem Politicum, nec fieri posse, quin Monarchiarum fautor iniqua
interpretatione condemnetur ad Machiavellistas, omnem hanc invidiam
a se